



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

VII. Quomodo veteres Scriptores corrupti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

therus magis Christianè quam S. Hieronymum, eum mortuum esse scribit: qui, inquit, si in illo de Sancto- rum inuocatione errore mortuus est, aeterna damnationi est obnoxius. Sic impij isti & diabolici homines sentiunt & loquuntur, eodem scilicet modo quo olim Nestoriani, Nouatiani, Samosatreniani, & alij de seruis Dei & Catholicis Christianis loquuti sunt, ut apud Socratem, Eusebium, Nicephorum & Theodoretum legere est. Sed porro videamus quod Lutheri de ceteris sit iudicium.

Basilium sic contemnit, ut ne pili quidem faciendum censeat, ut qui merus sit monachus. Origenem ait ne verbum quidem de Christo habere. In omnibus Athanasij scriptis nihil esse singulare. Quod ergo quidam obijciant sibi Luthero, doctrinam ipsius non esse Patrum doctrinæ conformem, ne huius quidem se facere, & ad eiusmodi voces aures sibi plane esse obratas. Alio loco contra Rusticos scribens, ait, etiam sitotius Mundi machina dissoluenda sit, velle se ut omnia qua ipse doceat, pro bonis & veris habeantur. Sculponis vel pugno obrurandum, adeoque cruentandum esse os illis qui ipsius doctrinam vellicare ausint. Quid? an tibi hæc sobrij hominis verba esse videntur? Staphylus qui Lutheri fuit discipulus, narrat à magistro sapienter se fuisse monitum ut SS. Patrum libros caute legeret, atque ita ne ab ipsis caperetur: tum eatenus eorum sententiam probaret quatenus S. scriptura, id est suis delirijs, esset conformis. Eadem vox fuit eorum qui post Lutherum non magis sectis suis, quam opinionibus certum aliquem modum præscripserunt: quorum vnus ait, Priscorum Patrum testimonia tam sollicitè conquirere, nihil aliud esse quam foetentis cœni struem congerere, & turbidas aquas in vnam cloacam deriuare. Et huius quidem tam grauis erroris causa est particulatis singulorum Ambitio, & præsumptio, qua omnes velut decumano aliquo fluctu, in pelagus illud errorum abripiuntur. Inspice, Lector, mendaces illas Centurias Magdeburgensium Concionatorum, qui post Lutherum nouam Ecclesiæ formam introducere aggressi sunt. Nulla fere pagina occurret, quæ non insigni, aliqua iniuria & contra tam sanctos homines, terræ olim lumina, at cœli nunc inquilinos, calumnia sit per-lita. Aiunt, Patrum scripta cisternas esse arentes & pertusas, immo foetidæ cloacæ: quibus non plus fidei tribuendum sit quam ijs qui lilia humeris ferunt. Irenæum quasi furioso esse similem. Clementem nihil habere nisi sordes & nugas. Cypriano nullum esse Deum. Euolue omnia Caluini scripta, videbis omnes pa-

ginas similibus SS. Patrum conuicijs refertas & quasi illustratas. Ignacij Epistolæ pro fabulis habet, Iustini Martyris Consecrationem pro incantamentis. Gregorium Magnum, inquit, à Spiritu Dei non fuisse ductum. Beza aperte coram Deo & Angelis protestatur, S. Hieronymi in torquenda S. scriptura audaciam esse intolerabilem. Atque neminem id negaturum qui scripta eius contra Iovinianum & Vigilantium legerit. Sanctus hic vir eidem Beza est idololatra, blasphemus, pessimus, & omnis iniquitatis plenus; Origenes vero, diaboli organum seu instrumentum; S. Cyprianus homo impurus, corruptus, amens, diuino spiritu & verbo destitutus. Sed leuius hæc sunt, si cum eis quæ Serreus Minister in Anti lesuita suo de Patribus S. Niceni Concilij scribere ausus est: quorum confessum inquit similem sibi ebriorum hominum conuiuio videri, immo nullum tam phreneticum conuiuium cogitari posse, si vel ipse Bacchus pampinis coronatus, dolo insidens, & trullam manibus tenens, Lapitharum & Manadum circum corona, cum tinnibilibus, sistris & thyrjs, alijsque instrumentis tali deo dignis pingatur, quam fuerit hic amentium & Dei & Ecclesiæ nomine abutentium hominum confessus. Zuinglius vero, Quid mihi, inquit, rei est cum Patribus potius, quam cum Matribus? O sancti & admirabiles homines. Vos ego, vos apello, Ecclesiæ quondam columina, & lumina fidei: qui cum Deo iam æuum agitis sempiternum. Quis credat hominem Christianæ religioni vel inuitatum, immo Diabolum potius ex impuri hominis ore tanta in vos contumelias & conuicia effundere potuisse? Adone cæci & velut in tenebris palpantes in hoc Mundo oberratis, ut ipsi salutis viam non cognoscere, nedum alijs commonstrare poteritis; & tam vos quam alios quos ad cælum educere debebatis, in abyssum inferni detruseritis?

VII. Sed his iniurijs non contenti homines pessimi, etiam scripta SS. Patrum truncare, mutilare, & corrumpere non dubitarunt, ut cum suis eos conciliarent opinionibus, Pessimum hoc sane artificium vel maleficium potius est, & insignis malitia; qua tamen plerique schismatici vsi sunt. Videas plerosque, vbi aliquo mulieris halitu afflati, aut lasciuo aspectu capti, libertatis subnixi, alii è Monasteriorum septis, vbi nescio quid Græciffare aut Hebraizare cœperunt, euolauerint, statim Græcorum Patrum aut alijs S. scripturæ libris vertendis, vel potius peruertendis, manum admoliri. Sic Oecolampadius Homelias S. Ioannis Chrysostomi, & super

super *Genesin Commentarios*, ut & *Theophylacti opera* vertenda suscepit. *VVolfgangus Musculus* libros aliquot *S. Basilij*, & *Ioannes Langlaus Iustinum*, *Lambertus Humfredus Cyrillum Alexandrinum*, *Iacobus Faber Ioannem Damascenum*, *Bilibaldus Birckhaimerus Gregorium Nazianzenum*, *Laurentius Humfredus* quaedam *Origenis Opuscula*, *Ioannes Leunclausius Gregorium Nissenum* & *historiam Michaelis Glyca* & *Constantini Manassis*, *Ioannes Langlaus historiam Ecclesiasticam Nicephori*, *Hieronymus VVolfus historiam Zonara*, interpretari conati sunt. Alios omitto, ac praesertim *Basileenses theologos*, qui Anno *M. DLXIV. S. Athanasij* opera imprimi curarunt, in quibus *questio XXIV. Ad Antiochum*, velut *Papistica*, ommissa est, quamvis eadem in antiquis, ut & a *Gryphio An. MDXXX.* excusus exemplaribus habeatur. Eadem fide & integritate idem in *Lactantio* imprimendo vsi sunt. Quot falsitates in *Bibliorum* a *Varabolo* curata versione commissae sunt? cuius impressori *Roberto Stephano* auctor grandem dicam impexit, eò quod se iusticio, suo nomine esset abusus, & sub eo tam multa falsa & corrupta promulgasset (*h*) Verum ille forum declinans, *Geneuam* se recepit, omnis impie tatis asylum.

Quod si minutatim ista omnia, ac praesertim quae in *Magdeburgensibus Centurijs* passim occurrunt, persequi mihi esset consilium; Deum immortalem, quot quantasque falsitates, corruptiones & deprauationes demonstrare possem! Quam multa truncata, mutilata, ommissa, addita, inuersa, peruersa: dum erroribus suis patrocinium quaerit, aut *Ecclesiae lumina* suis interpretationibus obstruere conatur. *Rumpunt illi & corrumpunt omnia, uertunt, inuertunt, peruertunt; praesertim si quid opinionibus suis contrarium occurrat.* Ceteris enim accisis, id tantum relinquunt, quod minus ipsis repugnare videtur, & cui color aliquis induci potest. Hinc fit ut verbis *SS. Patrum* tamquam alienae arboris suos inserant, veluti palmites: qui tamquam *syluestres & adulterini* nullum alium fructum ferunt, quam quod varijs modis illorum hominum fraudem & malitiam produunt. Tam multis locis adeo foede scriptores illi à nouis his *Marcionibus* corrupti, deprauati ac mutilati sunt, ut non minus quam *Hippolytus* olim ab equis discerptus, omnem pristinam formam amiserint, adeoque non ij qui sunt videantur. Periodos ad suum placitum formant, verba sine lance exigunt, syllabas ut velunt examinant. Addunt, demunt quod videtur. O importunos homines, quibus velut

continua febris laborantibus, nullus bonus & salutaris cibus placet, sed veluti praegnantem feminae ea tantum expetunt quae & foeda sunt & noxia. Sed tuum est, o sancta multisque nominibus illustris *Societas IESV*, & scientiae promtuarium, domum milium eruditionis, & praestantissimorum ingeniorum veluti recessus merito quidem haberis, (cuius initium & progressum libro *V. describimus*) tuum inquam est, spongiam tot inductis coloribus adhibere, & natium illum & pristinum splendorem diuinis illis operibus restituere, & errores & fucos quos pessimi illi homines illeceunt, expurgare.

VIII. Quemadmodum vero in libra, si lancium vna deprimatur, altera sursum vergit & eleuatur; sic *Lutherus* per *SS. Patrum* contemptum, inter suos ad summam gloriae opinionem gradum sibi construxit. Nam & ipse *Euangelista* & *Apostoli* titulum sibi vendicare non dubitauit; & haec eadem multaque alia encomia discipuli ipsius (de rigidis loquor, non mollibus, quales *VVitebergenses* & *Lipsienses* appellati sunt) in omnibus quos publicarunt libris ipsi tribuant: quorum sane tanta est multitudo, ut nullos vniquam haereticos scribatores fuisse facile mihi persuadeam. In his *Magistrum suum (m)* non honorant modo, sed tamquam caelo delapsam *Palladium* adorant: alterum *Paulum Apostolum*, alterum *Eliam Prophetam* (& hoc nomen sibi ipse etiam tribuit) *Tubam caelestem*, *Os Dei*, *S. Spiritus organum*, alterum *S. Ioannem Baptistam Christi praecursorem*, appellantes: *Lutherum* *Funcius* historicus ait, velut alterum *Ioannem Baptistam*, *agnum Dei* qui tollit peccata mundi, *commonstrasse*: eiusque aduentum multis *vaticinijs* & *visionibus* longè ante fuisse praedictum: quae quidem ego *VVitebergae* forte adhuc in *Democriti* puteo lateo reputo. Hoc loco mihi in mentem venit *Psaphon* ille impostor, qui *picas* quaedam verba illa, *Psaphon est Deus*, sonare edocuit, ut hominibus persuaderet se Deum esse. At vicini, *Psaphonem aiebant* autum conuicio Deum, sed hominum veraci sermone impostorem perhiberi. Sic quamuis *Lutherae* istae *picae* & *psittaci (n)* hanc cantilenam semper fere in ore habeant, & eandem omnibus pagi-

M m nis

1 *Possuinus*, *Bellarminus* & alij. m *Saxon. Theologi in supplicatorijs libellis ad Naumburg. fol. 63 Luth. tom fol. 488. Fox in Act pag. 404.* n *Sarcorius Neander in lib. orb ter. 3 part. Amsdorf. in praef. op Luth. Vibrand l. de bon. & mal. Germ.*